



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

XCVIII. Markgraf Hermann von Brandenburg schenkt dem Kloster
Marienthal bei Helmstädt seine Besitzungen zu Graßleben, im Jahre 1261.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

XCVII. Markgraf Otto von Brandenburg verkauft die Vogtei über viertelhalb Hufen Landes zu Grasleben, welche dem Kloster Walbeck früher angehörten, an das Kloster Marienthal bei Helmstädt, im Jahre 1261.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otto, dei gratia Brandenburgensis marchio, vniuersis hanc paginam inspecturis. Si uiris religiosus et deo sub regula militantibus aliquid gratie de bonis nostris impertimur, ad eterne uite premia nobis profuturum speramus et per hoc pro nostris excessibus ipsorum Christi fidelium apud deum preces nobis credimus profuturas. Notum sit igitur, tam presentibus quam futuris, contulisse nos, cum heredum nostrorum conuiuentia, ecclesie uallis sancte marie aduocatiam trium mansorum et dimidii, qui olim proprii erant canonicorum in Wallebeke, sitorum in uilla grasleue, pro VI. marcis puri argenti, perpetualiter possidendam. Vt ergo hec dicte ecclesie inconuulsa permaneant, testibus subter adnotatis, hoc scriptum sigilli nostri inpressione mandauimus roborari. Testes hii sunt Geuehardus miles de Aluensleue et filius ipsius eiusdem nominis, frater Anno de Asbeke ordinis predicatorum et alii quam plures. Acta sunt hec anno uerbi incarnati M^o. CC^o. LX^o. 1^o.

Nach dem im Herzogl. Landeshauptarchiue zu Wolfenbüttel aufbewahrten Original.

XCVIII. Markgraf Hermann von Brandenburg schenkt dem Kloster Marienthal bei Helmstädt seine Besitzungen zu Grasleben, im Jahre 1261.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Hermannus, dei gracia Brandenburgensis Marchio, vniuersis hanc paginam inspecturis. Si uiris religiosus et deo sub regula militantibus aliquid gratie de bonis nostris impertimur, ad eterne uite premia nobis profuturum speramus, et per hoc pro nostris excessibus ipsorum Christi fidelium apud deum preces nobis credimus profuturas. Notum sit igitur tam presentibus quam futuris, quod nos uidentes Amicum nostrum, Comitem Theodericum de brenen, nec non uirum nobilem Sifridum Comitem de blanckenborch bona, que sui iuris erant in villa seu campis ville grasleue contulisse religiosus uiris Monachis in valle Beate Marie, Nos eciam, ne beneficium nobis a deo collati iudicemur immemores, reliqua omnia bona in eadem villa grasleue et in campis, agris, pratis, siluis, riuis, aquarum decursibus, que omnia nostri iuris erant, cum omni heredum nostrorum conuiuentia, conferimus libera ab omni aduocacia et seruiciorum onere eidem monachis perpetuo possidenda. Vt ergo hec dicte ecclesie inconuulsa permaneant, testibus subter adnotatis, hoc scriptum sigilli nostri inpressione mandauimus roborari. Testes hii sunt Gheuehardus miles de aluensleue et filius ipsius eiusdem nominis, frater anno de asbeke ordinis predicatorum et alii quam plures. Acta sunt hec anno uerbi incarnati millesimo ducentesimo sexagesimo primo.

Nach einer, wahrscheinlich erst im 15. Jahrhunderte angefertigten, im Herzogl. Landeshauptarchiue zu Wolfenbüttel befindlichen Nachahmung einer Original-Altstunde.